



ANno superiore, cum ad CONSULEM, novo regimini ad-
motum, dirigenda esset consveta Gymnasii gratulatio; Is
autem simul esset SCHOLARCHA supremus, qui vel hoc
nomine præscribere videretur argumentum, Rep. literaria
dignum: nonnulla proferre meminimus, de METHODO
STUDIORUM, quam Scriptor Gallus, non inferioris ordinis, pau-
lo ante sic orbi erudito commendaverat, ut aliqua nostris studiis con-
venirent, aliqua commodius explicata, non omnino repugnarent. Nec
ingratam fuisse nostram hanc operam, quæ bene mereri vellet de stu-
diis h. e. de præcipuo reip. ac posteritatis fulcro, variis tum documen-
tis demonstratum fuit.

Nunc ubi ad novam pietatem nos allicit Vir Nobilissimus, septi-
mum hac vice CONSUL, ac simul Parochialis Templi supremus
CURATOR: non alienum ab ipsius tum dignitate tum felicitate
fuerit, aliqua proferre ad rem ecclesiasticam spectantia. Nam si præ-
cibus in templo fufis adjuvari solent graviores Magistratum conatus:
Illi non diplicebit loci tam salutaris recordatio. Si vicissim, propio-
ri velut nexu, Templum & Scholam construngi videmus, ut in expe-
diendis passim ceremoniis, ipsa juvenum nostrorum cantica requi-
rantur: quis, e coetu scholastico, domum toties sibi commendatam re-
spicere, vel deprædicare nolit?

Adde quod singularem & admiratione dignam habemus Tem-
pli primarii mentionem, si cogitemus anno jam P. C. N. 1021. inibi
sepulchrum fuisse datum *Zittavia s. Sidonia*, ut verba Epitaphii o-
lim legebantur, *Christianissimo Principi Manfredo nuptæ*. Sive enim
fuit Micislai Poloni filia, sive originem habuit Pomeranicam; Man-
fredus certè, hujus regionis dominus, lineam agnovit Witekindeam,
seu ut speciatim is ramus appellatur, Ringelheimensem: nam si Mar-
chio nonnunquam vocatur Brandenburgicus, crediderim ab Imperato-
re missum, ut in eo Marchionatu supremum ageret belli ducem: ac
proinde tantum Heroem in exiguo sacello, vel templo prorsus obscu-
ro, recondi voluisse personam profapia & connubio splendidissimam,
vix est cur nobis persuadeamus. Ita citius hic habuimus Templum,
quam justam civitatem: si, quod communi omnium consensu credi-
tur verissimum, Ottocarus Bohemix Rex anno demum, 1255. mœnium
prima jecit fundamenta; si postea filius ejusdem Wenceslaus ad au-
gmenta Privilegiorum, ipsiusq; oppidi cultum aliquanto meliorem, in-
signes suas curas conferre dignatus est.

Cœ-